DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS DE EVICTIONIBUS QUAM ... MAGNIFICI JCTORUM IN...

Georg Adam Struve, Johann Gelpke, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

254.

JEHOVA GUBERNA.

QUemadmodum ille, qui ſeſe in amœnum aliquod viridarium confert, inſpectis variis, variorum generum, floſculis, non decerpit eos, qui nullum planè odorem habent, vel quorum odor jam præteriit, ſed potius eos, qui ſenſibus jucunditatem quandam afferunt, eligit. Ita & mihi ex viridario juſtineaneo floſculum aliquem, non, cujus odor per multa temporum intervalla jam præteriit & evanuit, ſed qui adhuc ubique locorum in quovis benè conſtituto judicio ſuaviter olet, decerpendum cenſui. Quotidiana enim & uſum in vita communi frequentem habentia juxta monitum JCtorum ſæpius & plenius propter utilitatem ſunt attingenda *ut patet ex l.25.ff. de liberat. legat. l.1. de ſuſpect. Tutor. l.9. §. 8. de R. C.* quod autem rarò fit, non obſervant legislatores, *ut apertè dicit Imperator noſter Juſtinianus in Novell.94. cap. 2.* nec facilè in agendis negotiis computatur *l. 64. ff. de R. J.* Hac motus ratione uberrimam & in foro verſatiſſimam Evictionis materiam loco inauguralis diſputationis placuit proponere. Nec credas, eam in ſola & nuda praxi conſiſtere, ſed acuratiſſimam ſtudii Theoretici contemplationem præſupponit, in multis enim & innumerabilibus legum textibus ſedem ſuam habet, & immenſa ipſius utilitas cum maxima difficultate conjuncta eſt: uti inter alias

ex l. ſi fundus 33. ff. Locat. & §. cum autem 3. Inſtit. de Empt. vendit. videre licet, qui textus conciliatu adeo difficiles ſunt, ut nonnulli graviſſimi JCti, quorum agmen ducit Cujacius & Hortenſ. realem hic antinomiam ſubeſſe ſtatuant: Quam verò litem meam non fecerim, niſi inextricabile bellum ſuſcipere cupidus ſim. Methodo verò non exactâ, ſed pro ingenii tenuitate hancce materiam pertractabo; Tu verò, candide lector, ſi quid rudi minervâ propoſitum reperis, veniam largire, & imbecillitati humanæ, quippe quæ naturaliter ineſt, *juxta monitum ſacratiſſimi noſtri Imperatoris in l. 2. §. 14. C. de vetr. jur. enucl.* adſcribe. Priusquam autem ad rem ipſam nos accingamus, ductu Juſtinianeo laudatiſſimo *jam allegato loco l. 2. in pr.* ad divinæ immortalitatis præſidium reſpicimus, & ſummo numine invocato, Deum autorem, noſtrique exercitii præſulem fieri optamus, ex hoc enim ſequitur bonum principium, melius medium & finis tandem Deo acceptabilis, & ubi Chriſtus non eſt fundamentum, nullius boni operis eſt ſuper ædificium. *can. cum Paul. 26. c. 1. q. 1.*

THESIS I.

JCtus Ulpianus *in l. ſi Dominus 2. ff. de his, qui ſui vel alien. jur. ſ.* optime inquit; Jus ſuum nemini mortalium eſſe detrahendum, ſi aliàs Juſtitia ſalva manere debeat; Quoniam juſtitiæ fundamentum in eo maximè conſiſtit, ut unicuique, quod ſuum eſt, reddatur. Et alteri aliquid detrahere, hominemque cum alterius hominis incommodo ſuum commodum augere, magis eſt contra naturam, quàm mors, quàm dolor, quàm paupertas, quám cætera omnia, quæ homini unquam accidere poſſunt, *uti elegantiſſimè poſt Cic. lib. 3. offic.* loquitur facultatis noſtræ Juridicæ caput *Magnif. Dn. Richterus JCtus conſummatiſſimus Com. Palat. Cæſar.*

Præce-

Preceptor & Promotor meus ætatem colendiſſimus deciſ. 96. n. 1. & 2. Cum autem tempora jam ſint & dudum fuerint adeo perverſa, ut aſtutiis & nequitiis hominum vix occurri queat quod inter alia ex materia Empt. vendit. cernere licet, ubi venditor ſæpe rem furto ſublatam vendit & diſtrahit, Emptor iſtam rem bonâ fide emit, poſtea verus Dominus, cui res ablata, rem ſuam à bonafid. emptore vindicat, quam emptor etiam vero Domino, ſuum vindicanti & dominium probanti absque reſtitutione pretii reddere tenetur. Idcirco Ædiles ejusmodi fraudibus frenum injecerunt, & ne b. f. emptores pretium amittere, contra verò venditores ejusmodi nequisſimi cum alterius damno contra naturam lucrentur, evictionem excogitarunt, quâ b. f. emptores ſe tueri, ac pretium amiſſum unâ cum Intereſſe à ſuis autoribus recuperare poſſent. De qua Evictionis materia admodum utili & neceſſaria (quippe quæ in multis negotiis obtinet) cum in præſentiarum dicturi ſimus, ne ſtatim in limine impingamus, antequam ad alia transgrediamur, à vocis hujus origine, Deo ducente, auſpicabimur.

II.

Originationem itaque ſuam ducit à verbo evincere, quod compoſitum eſt ex præpoſitione è & ſimplici verbo vincere, ac proinde evincere ſignificat, legitimo certamine vincere, & è bonis poſſeſſoris per victoriam in judicio obtentam auferre, *ut habet Magnific. Dn. D. Struvius JCtus undiquaque celebratiſſimus Facultatis hujus Senior, Doctor & Promotor meus omni honoris cultu obſervandus in ſuo ſyntag. Juriſp. h. t. n. 2.* Et compoſitum hoc evincere plus denotat, quàm ſimplex verbum vincere, unâ literâ ſignificationem augente, ut in verbis enavigare, emunire, & in hac ipſa materia elaudare, quod plus eſt, quàm laudare, quod ſignificat auctorem evocare, ut liti adſiſtat, & defenſionem ſuſcipiat. Adeoque verbum hoc cum effectu accipiendum eſt, ut non ſolùm nudam victoriam in judicio obtentam, ſed & facultatem rem abducendi & auferendi denotet, *ut patet ex l. habere 57. ff. h. t. Magnif. Dn.*

Frantz. p. m. in ſuo comment. ad ff. h. t. n. 2. Evicta itaque tunc demum res cenſetur eſſe, ſi ita amittatur, ut eam emptori habere non liceat, & omnis ſpes habendi erepta ſit *l. 35. ff. h. t. Petrus Gregor. Tholoſan. in ſyntagm. Juris univer. L. 25. c. 22. n. 3. h. t. Perez. in Prælectionibus C. n. 1. h. t.*

III.

Viſâ originatione ad ipſam Evictionis definitionem progredimur, & dicimus, quod ſit rei emptæ, vel ex âlia quacunque juſta cauſa acceptæ, per Judicis ſententiam ablatio. Hic notandum eſt, quod dicitur rei emptæ, quia potiſſimum in materia emptionis vendit. evictio ſedem ſuam & locum habet. *ut patet ex l. 11. §. 2. ff. de action. empt. l. 1. & paſſim. h. t.* & ſemper ex natura & ſubſtantia hujus contractus tanquam proprietas quædam tacitè ipſi ineſt, quamvis de eá ne verbum quidem inter contrahentes dictum ſit, *l. non dubitatur 6. C. h. t. Sichard. ad C. n. 2. h. t.* Et propterea venditor non ſaltem ad eam ex natura contractus tenetur, licet promiſſa non ſit, ſed & volente & poſtulante emptore ſive ſtatim ab initio, cum res traditur, ſive etiam poſtea ex multo tempore de eâ expreſsè repromittere debet *l. ſi fundus 6. l. emptori 37. l. ſi in vendit. 60. h. t. l. 6. C. eod. l. quod ſi nolit 31. §. aſſidua 20. de ædil. edict. Dn. Frantzkius ad ff. n. 7. h. t.* In definitione noſtra additur, vel ex alia quacunque juſta cauſa acceptæ: Quæ verba generalia innuunt, Evictionem non ſolùm in Empt. vendit. ſed & in aliis titulis oneroſis emptioni affinibus, quibus res juſta de cauſa ad nos transferuntur, locum habere, & ſi auferantur nobis, dantem pro evictione teneri, ut in permutatione & aliis contractibus innominatis, quibus res in alium transfertur *l. 1. C. de rerum permut. l. 29. C. h.* In datione rei in ſolutum *l. 4. C. h.* in diviſione rerum communium vel hæreditatis *l. 66. §. ult. h. l. 1. l. 7. C. commun. utriusque judic. l. 14. famil. erciſc.* In Locatione conduct. *l. 9. l. 35. ff. Locat.* In Emphitevſi *§. 3. Inſt. de locat. conduct.* In Transactionibus *l. 33. C. de Transact. Magnif. Dn. Struv. allegat. loc. n 3. Sichard. in C. n. 9. h. t.* Sequitur in definitione, per ſententiam Judicis ablatio: Ex

Ex quo videmus, ut detur alicui actio pro evictione, neceſſe eſſe, rem illam alicui eſſe ablatam vel abductam mediante Judicis ſententiâ: Ita ut primò requiratur Judicis ſententia, deinde ut iſtius ſententiæ fiat executio: Quia tunc demum res dicitur evicta, cum per ſententiam Judicis aufertur, & ſententia executioni mandatur, id eſt, res ad alium transfertur. Nam priusquam res transferatur, non rectè dicitur evicta, *Sichard. ad C. n. 14. h. t. Dn. Habn. in obſerv. Theor Pract. n. 5. h. t.* Verba, per Judicis ſententiam, etiam hoc innuunt, non poſſe quemquam propriâ autoritate & violenter rem ſuam repetere, ſed Judicis declarationem expectare debere. Nam ſiquis propriâ, neglectâ Judicis autoritate, poſſeſſionem alicujus rei apprehendere auſus fuerit, dominium & Jus, quod in re habebat, amittit, *ut patet ex l. 13. ff. quod metus cauſa l. 7. C. unde vi.* Tandem & hoc volunt, ut vocabulum Judicis hic ſtrictè ſumatur, adeò ut arbitrium & compromiſſum hoc loco penitus excludantur: ſi enim per arbitrium vel compromiſſum res alicui auferatur, licet arbitria ad inſtar judiciorum ſint redacta, *ut liquet ex l. 1. ff. de recept. qui arbitr. recep.* tamen de illa re ſibi per arbitrium evictâ non habet actionem contra autorem ſuum de evictione, *ut eſt textus pulcherrimus in l. ſi dictum 56. §. 1. ff. de Evictione.* ratio in lege additur, quia nullâ cogente neceſſitate hoc fecit, & imputet ſibi is, cui res per arbitrium evincitur, qui in eum arbitrum conſenſit, cum non coactus fuerit, in eum conſentire. Debet itaque emptor vel poſſeſſor rei tantummodo Judicis ordinarii ſententiam expectare, ſi cupit actionem pro evictione habere. Aut ſi vult compromittere in arbitrum, debet hoc ſciente & conſentiente Autore facere: Et ſi autor annuat, tunc, cum res ex laudo arbitri evincitur, habet regreſſum contra eum, pro evictione, quem aliàs non haberet. Sic etiam, qui propter ſtatutum compromittit in aliquem, & res controverſa ipſi evincatur, habet regreſſum vel actionem contra authorem, non aliter, quam ſi res ipſi per ordinarii Judicis ſententiam evicta eſſet, uti *tradit praeclarè Bartolus in l. ſocietatem §. arbitrorum ff. pro ſoc. Sichard. in C. n. 17. de Evictione.* Ultimò, verba, Judicis,

cis; in definitione poſita hoc innuunt, ut Judex ſit competens, quando enim quis coram non ſuo Judice ſed incompetente litigare mallet, & res empta ei per rationem dicti §. *ſi compromiſero 1.* evinceretur, non habet regreſſum contra authorem, quia itidem nullâ cogente neceſſitate coram non ſuo Judice litigavit, cum per exceptionem fori declinatoriam ejusmodi Judicem removere poſſet.

IV.

Antequam autem ulterius progrediamur, non omittendum, vocabulum evictionis dupliciter conſiderari; vel abſolutè vel relatè: abſolutè & in ſe conſideratum ſignificat, quando res ita evincitur, ut non amplius in bonis noſtris exiſtat, & germanico idiomate idem eſt quod Endtwehrſchafft. Relatè verò, quatenus à venditore præſtanda, & germ. dicitur Gewehrſchafft quo in ſenſu & nos potisſimùm accipimus, veſtigiis Juris noſtri compilatorum inſiſtentes, qui vocabulum evictionis *ſub rubr. C. & ff.* potisſimum ita accipiunt, & idem eſt, ac ſi dicerent, de evictionibus præſtandis. Ut enim præſtare dolum vel culpam dicimus, pro eo, quod per dolum culpamvé adverſarii nocitum damnumve datum eſt, ut nimirum iſtius nomine ſatisfactio nobis fiat; Pari modo venditor dicitur præſtare evictionem, ſi emptorem obrem evictam vel per ſolutionem ejus, quod intereſt, vel dupli aut tripli in ſtipulationem deducti, indemnem ſervet. *Dn. Frantzkius, ad ff. n. 5. h. l.*

V.

Perluſtratâ evictionis originatione, definitione & ejus acceptione, de objecto ejus paulum ſoliciti erimus. Præſtanda autem eſt evictio quarumlibet rerum, titulo oneroſo vel alio quodam legitimo modo translatarum. Et ſunt vel corporales vel incorporales; Corporales vel mobiles vel immobiles ſunt; de quibus facilè conſtat, & nulla dubitatio eſt, non ſaltem, ſi ut principales in contractum deductæ *l. 1. l. ex mille 64. ff. h. t.* ſed & ut accesſiones, modo nominatim hoc actum ſit, eo enim caſu, pro parte rei venditæ habentur *l. quod ſi nolis 31. §. ult. & l. ſeq. ff. de ædilit. edict. Magnifi.*

Dn.

Dn. Struvius in ſuo ſyntagmat. juriſpr. th. 20. h. t. Dn. Frantz d. l. n. 20.

VI.

De rebus corporalibus res eſt expedita, quod autem incorporales s. Jura & nomina attinet, non adeò eſt liquida: Hinc non incommodè quæritur, an vendens vel cedens nomina de ipſorum evictione teneatur! Et diſtinguimus, an nomina ſimpliciter ſint vendita & ceſſa, an verò ex datione in ſolutum vel transactione: priori caſu dicimus, quod non, quia cedens præſtare debet, ut ſit nomen, non ut exigi etiam aliquid poſſit, ſeu debitorem eſſe locupletem *l. 74. §. fin. h. t. l. 4. ff. de heredit. vel action. vendit.* quod etiam procedit, quamvis tempore ceſſionis debitor jam non fuerit ſolvendo *d. l. 74. § fin. h. verbis, quale fuit. l. 94. §. 1. h. l 96. §. 2. ff. de ſolut.* Imputet enim ſibi ceſſionarius, quòd non cautiùs mercatus ſit, & in facultates debitoris diligentiùs inquiſiverit, cum jura non negligentibus, nec dormientibus, ſed vigilantibus ſubveniant. *ut patet ex l. 16. ff. ex quibus cauſ. major. 25. ann. l. 31. in fin. C. de annal. except. Ital. contr. l. 24. in fin. quæ in fraudem credit. Gail. lib. 1. obſ. ult. n. 2. in fin.* & in contrahentibus leges curioſitatem aliquam deſiderent. *l. 1. §. 11. de ſeparat. l. 3. de fide juſſor. l. 9. § 9 ff. de in rem verſ. l. 17. ad Setum Velles. Magnif. Dn. Struvius: allegat. loc. th. 23.* Et hoc adeò verum eſſe dicit *Magnific. Dn. Hahn. in obſerv. Theor. Pract. n. 10. h. t.* ut recipiens ceſſum nomen indiſtinctè de ejusdem periculo teneatur, ſive ceſſus debitor fuerit non ſolvendo tempore ceſſionis, ſive poſtea talis factus ſit, ſive ceſſionarius id ſciverit, ſive ignoraverit, *per text. d. l. 4. de hered. vel action. vendit. l. 74. §. fin. de Evictıon.* Quia cedens, locupletem eſſe debitorem, non debet præſtare, ſed ſufficit præſtare, debitorem eſſe, id eſt talem, qui nullâ exceptione peremptoriâ & perpetua ſe tueri poſſit. *d. l. 4. ff. de hered. vel. act. vend. d. l. 74. ff. de Evict. l. 45. §. penult. ff. mandat.* Inſuper quod ad exactionis à ceſſionario faciendæ naturam pertineat, ut ceſſum nomen ſeu ceſſas mandatasve actiones ceſſionarius ſuo periculo exigat & perſequatur: adeoque omne lucrum & damnum habeat

l. 96. §. 2. ff. de ſolut. l. 17. in fin. de petit. heredit. l. 31. ff. de action. empt. ſupra allegatus Dn. Hahnius d. l. Et hoc eò magis procedit, ſi delegatio intervenerit. *l. 26. §. 2. l. 45. §. pen. ff. mandat. l. 3. C. de Novat.* Nec intereſt, an ſciat, an ignoret qualitatem debiti is, cui ceditur. *Dn. Struvius præ allegat. l. Dn. Frantzk. h. t. n. 66. & 81.* Prædicta autem eò usque vera ſunt, quàm diu dolus abeſt, ſi enim dolus cedentis ſubſit, & is perſuadendi & ſeducendi animo affirmaverit, debitorem eſſe ſolvendo, quem tamen talem non eſſe ſciebat, & ipſum tanquam locupletem & aſſiduum laudaverit, nomen idoneum aut intereſſe præſtare tenetur. *d. l. 74. §. 1. h. t. l. 22. §. 2. ff. ſolut. matrim. l. 48. §. 1. de fidejuſſoribus.* Succurritur etiam ceſſionario, ſi juſto errore fuerit commotus, ut crederet, debitorem ſolvendo eſſe, v. g. quod ab omnibus & communiter pro locuplete habeatur; *arg. l. 1. §. 2. de ædil. edict. Dn. Struvius allegat. loc. Dn. Frantzk. præalleg. l. n. 77.* multò minùs dubitandum, ſi expreſsè de ea convenerint. *per text. in l. 4. in fin. verb. niſi aliud convenit l. 5. verb. niſi in contrarium actum ſit. ff. de heredit. vel act. vendit. l. 74. pr. de Evictione. Caſpar. Caballin. tract. de evict. §. 5. n. 37.* Quicunque enim promiſit indemnitatem præſtare, ſeu indemnem ſervare, ſchadloß zu halten, is damni nomine conveniri poteſt ab eo, cui hæc promiſſio facta eſt, quam primum damnum ſecutum eſt, videatur *Dn. Hahnius d. l. & quos allegat.* Poſteriori caſu, quando nomina ex datione in ſolutum vel transactione ceſſa ſunt, cedens de evictione tenetur: expediti enim juris eſt, evictionem non ſolùm in empt. vendit. ſed etiam in aliis contractibus, in quibus datur aliquid ex cauſa oneroſa, etiamſi de ea nihil dictum fuerit, præſtandam eſſe: *l. 6. l. 29. C. de evictione. l. 1. de rerum permut. l. fin. ff. de condict. causâ dat. l. 9. ff. locat. cond.* jam verò quis neget, ceſſionem ex datione in ſolutum titulo oneroſo ad aliquem pervenire, quod & in transactione quoad rem, quæ ejus nomine datur, obtinet. *per text. in l. 33. C. de transact. juncta l. 4. C. de evict. videatur Dn. Hahnius allegat. loc. & quos allegat.*

VII. Hacte-

VII.

Hactenus de nominibus venditis vel alio modo ceſſis, quæ ſunt res incorporales, quaſi magis abſolutè tales, egimus; Non inconcinnè erit, ſi de illis, quæ ſunt magis reſpectivæ, ut uſus fructus & ſervit. prædiales, etiam agamus. Uſum fructum quod ſpectat, de eo evicto actio non minus emptori competit, quàm ſi res corporalis evicta ſit, *l. ſi ab emptore 49. h.t. ubi Gajus inquit*, ſi ab emptore uſus fructus petatur, proinde is venditori denunciare debet, atq; is, à quo pars petitur, huc facit etiam *l. 66. de contrah. empt. 1. ſed ſiquidem 16. §. 1. l. vaccæ 43. l. fundũ 46. ff. h. t. Dn. Frantzk. n. 87.* Quod de uſu fructu, idem de uſu vel ſimili jure, ut Emphyteutico aut ſuperficiei dicendum videtur. *l. ſtipulatio 38. §. ſiquis 13. ff. de Verb. obl. l. 49. l. 43. l. 46. h. t. l. 66. ff. de contrah. empt. Magnific. Dn. Struvius allegat. loco. th. 20.* ſervitutes prædiales quod attinet, non aliter venditor præſtare debet, quàm ſi conſtituerit, & expreſsè dixerit, *l. 66. ff. de contrah. empt. l. penult. l. 46. § 1. h. t.* quia tunc etiam ipſa ſervitus quoque vendita eſſe cenſetur. *l. 6. §. 6. ff. de action. empt. l. 73. h. Dn. Struv. d. l.* Non inelegans in *l. 66. de contrah. empt.* proponitur caſus, ubi dicitur, ſi, cum venditis prædiis Servitus deberetur, nec venditor commemoraverit emptori, ſed ſciens reticuerit, & per ignorantiam rei emptor non utendo per ſtatutum tempus ſervitutem præſcriptione amiſerit, venditorem teneri ex empto propter dolum,

VIII.

In theſibus præced. de rebus mobilibus & immobilibus, corporalibus, & incorporalibus aliisque juribus diximus, quatenus evictio veniat præſtanda; Quid autem juris in hereditate vendita ſervandum: Et dicimus, venditorem hereditatis non ſicut reliquos venditores teneri de evictione rerum ſingularium, quia non tanquam Dominus, ſed ut heres vendit, ſatis proinde eſt, venditorem hæreditatem, id eſt, Jus ſuum hereditarium præſtare, non etiam rerum particularium dominium. Ideoq; ſatis dare de evictione venditor hereditatis non tenetur, *l. 1. C. h. t. l. 2. ff. de hered. vendit. ibique VVeſembec. ad ff. n. 3. h. t. Dn. Brunneman. in C. ad l. 1. de evictione.* ſed tum demum de evictione venditor tenetur, ſi illa alteri,

1264.

tanquam hæredi fuerit adjudicata, non etiam, ſi ex ea res aliquæ à Dominis earum ablatæ, *l. 1. C. h.* quia ipſum Jus ſucceſſionis ipſaque univerſitas, augmenti & diminutionis capax, in venditionem venit, non res ſingulæ, quas proinde, ſi habere cupit emptor à poſſeſſoribus, ſumptu ac periculo ſuo perſequi debet. *d. l. 1. C. h. t.* Hoc adeò verum eſt, niſi aliud convenerit, & venditor rerum ſingularium evictionem præſtare promiſerit, tunc utique ſervanda erit conventio. Cui ſimile eſt, ſi venditor de ſubſtantia hereditatis affirmavit, ſive dixit, has & illas res in ſpecie eſſe hereditarias: Si enim poſtea hæ res evincantur, venditor evictionem præſtabit, quia ita affirmavit, ut præſtaret, quippe propterea pluris vendidit. *l. 1. ff. de hæred. vel act. vend. l. 45. ff. de contrah. empt. Dn. Frantzkius d. l. n. 163. Perez in prælect. C. n. 7. de evict. D. Brunneman. in C. ad l. 1. h. t.* Quod de vendita hæreditate, idem de univerſitate corporum, e. g. grege, bibliotheca, &c. vendita dicendum videtur, quod verò cum grano ſalis accipiendum, & ſi univerſitas per averſionem, german. in geſambt durch'n Bogen ſit vendita, non dubitandû, hoc caſu venditorem uno vel altero corpore ex iſtâ univerſitate evicto non teneri, *arg. l. 35. §. 6. de contrah. empt.* quicquid etiam in contrarium afferat *Sichardus ad. C. n. 10. h. t.* Si verò univerſitas ſub certo numero capitum, pretio in quodlibet conſtituto, vendatur, & unum atque alterum ceu alienum à verô dominô evictum ſit, ſecus ſe habet, & venditorem emptori de evictione teneri exiſtimamus. *arg. l. 72. h. t. l. 34. de ædil. edict. l. 35 §. 6. ff. de contrah. empt. Magnific. Dn. Struvius d. exerc. th. 22. Dn. Frantzkius d. l. n. 173.*

IX.

Poſtquam objectum, ſeu res, quæ ſub evictionem cadunt, perluſtravimus, de objecto ſeu de perſonis, quæ eam præſtant, & cui præſtanda, paulum ſoliciti erimus. Tenentur autem de evictione venditores & autores, à quibus emptores & alii, qui titulo oneroſo acquirunt, rem traditam acceperunt, *l. 1. ff. h. t. l. 16. C. eod.* modo ipſimet nomine proprio & non alieno, aut neceſſitate officii alienaverint. *Dn. Frantzkius d. l. n. 566.*

n. 566. Dn. Struv. d. Exercit. th. 26. Sed quid, ſi plures unam rem vendiderunt, à quo evictio erit præſtanda? & dicimus, omnes obligari inſolidum, quod verò cum limitatione accipiendum & non cogitandum, quaſi omnes teneantur ſolidum ſolvere, aliàs enim emptor cum ſumma aliorum injuria locupletaretur, quod contra naturam eſt, ſed ſi unus ex his ſolverit, cæteri liberabuntur, emptorq; hoc contentus eſto, ille verò, qui ſolvit totum, regreſſum habet erga reliquos. Tenentur etiam hac obligatione heredes. *l. ſi controverſia 9. l. 21. l. 24. C. h. t. l. ſi vendideris 9. l. ſi per imprudentiam 51. §. non mirum 2. ff eod.* & ſi plures ſint, omnes tenentur, & conveniendi ſunt, ita, ut omnibus emptor denunciare debeat, ac unus ex illis non audiatur, ſi pro ſua parte hæreditaria velit defendere. *per text. in l. 62. §. 1. h. l. 4. §. fin. l. 85. §. 5. l. 139. in fin. de V. O. l. 68. h. Dn. Struvius. d. l. Dn. Frantzkius. d. l. n. 574.* Tenentur etiam fidejuſſores propter evictionem, ſi qui hoc nomine intervenerint. *l. ſi is qui 40. ff. h. t. l. 7. C. eod.* Qui iccirco ſecundi Autores vocantur, ut patet *ex l. 4. ff. h. t.* eorumque hæredes. *per l. 18. C. h. t.* Quod adeò verum eſt, quamvis eis nulla ab emptore facta ſit denunciatio, ut liti adſiſtant, quia ſufficit, principali venditori denunciatum fuiſſe. *per l. 7. C. h. t.* Ratio, quia in obligatione fidejuſſoria nihil proprium eſt fidejuſſoris, ſed totum ex obligatione principalis rei deſcendit, cujus eſt acceſſoria. *§. fidejuſſores. J. de fidejuſſor.* Præterea ſicut venditore liberato etiam fidejuſſores ſine ullo ſuo facto liberantur; ita quoque ſufficere putamus, ſi mota controverſia de re venditâ ſaltem venditori denunciatum ſit. *Donellus in l. autore C. h. n. 1.* Et adeò hoc verùm eſt, ut nec fidejuſſor ex ſua perſona, rem, pro qua fidejùbendo intervenit, evincere, poſſit *l. exceptione 11. C. h. t.* dolo quippe facit, qui petit, quod ſtatim reſtituere debet. *l. dolo ff. de except. dol.*

X.

Qui præſtare evictionem teneantur, vidimus, paucis quoque, quibus præſtanda, & quibus hoc nomine actio competat, attingemus. Competit autem 1. regulariter Emptori, (ut ſatis demonſtratum) eoque defuncto, heredibus

ipſius. *l. 23. in fin. l. 39. h. Covarruv. 3. var. reſol. c. 17. in pr. Gail. l. 2. obſ. 14. n. 6.* 2. Emptoris patri *l. 71. h.* 3. Mulieri. *l. 22. §. 1. cum duabus ſequentibus ff. h.* 4. Coheredi. *l. 7. C. commun. utriusque Jud.* 5. Procuratori. *l. 42. in fin. l. 49. ff. de adquir. poſſeſſ.* 6. Pupillo in adita hereditate *l. 3. §. 3. ff. quibus ex cauſ. in poſſeſſ. eatur.* 7. Domino, quando ſervus emit. *l. 39. ff. de evict.* 8. Conductori. *l. 9. ff. Locat.* 9. Genero. *ut patet ex l. 1. C. de jure dot.* 10. Accipienti pignus in ſolutum creditoribus obligatum *l. 4. C. de evict.* 11. Malæfidei Emptori, ſi expreſsè ei evictionis nomine ſtipulatione cautum ſit. *l. 27. C. h. t.* 12. Creditoribus anterioribus, ſi res ſoluta ſit poſterioribus. *l. 22. §. 6. C. de jure deliber.* 13. Ignoranti ſe emere rem alienam vel obligatam. *l. 27. C. h. t.* Permutanti. *l. 29. C. h.* Et aliis, qui ex cauſa oneroſa aliquid acceperunt.

XI.

In Theſi ſuperiori tertiâ caſus & contractus, in quibus evictio præſtanda veniat, leviter prælibavimus; quoniam verò circa unum atque alterum aliquid adhuc monendum venit, non absque re futurum duco, ſi de quolibet ſpeciatim dicam & monenda afferam. Primarium autem hujus materiæ domicilium eſt in emptione vendit. *l. 1. ff. h. t. & l. ſuper 16. C. eod.* cui naturaliter & quidem principaliter tanquam proprietas quædam ineſt, & locum habet, licet de ea ne unicum verbum quidem dictum vel nullum prorſus emptionis inſtrumentum confectum ſit, ut patet *ex l. ult. C. de commun. rerum alien.* Quid verò in emptione rerum furtivarum obtinet, an hîc ſemper evictio locum habet? Et diſtinguimus, an Emptor ſcienter rem furtivam emerit; ibi enim non ſolùm absque pretio rem reſtituere tenetur, & nullo gaudet evictionis erga venditorem auxilio, ſed inſuper pœna arbitraria plectitur, *uti poſt Dn. Carpzov. teſtatur Magnif. Dn. Richterus deciſ. 96. n. 20. & 24.* ubi rem præjudiciis elegantisſimè illuſtrat. Et non immeritò, quia jura deceptis & non decipientibus ſubveniunt, *l. 2. §. 2. ff. ad Sctum Vellei.* nemoque ex ſuo dolo vel calliditate relevari debet. *l. verum 63. §. 7. ff. pro ſocio.* Quod verò limitari poteſt, quamvis emptor ſciverit, rem eſſe furtivam, dolo

tamen à venditore perſuaſus ſit, rem in remoto loco eſſe ſubtractam, emptor quidem ad ejus reſtitutionem tenetur, erga venditorem ſuum autem habet regreſſum, qui doloſè cum eô egit, & tenetur ei pretium cum intereſſe reſtituere, quàm rem jam allegatus *Magnif. Dn. Richterus d. l. n. 24. eleganti reſponſo* in hoc collegio dictitato confirmat. Si verò imprudens & omninò inſciens rem furtivam aliquis bonâ fide emerit, indiſtinctè venditorem de evictione obligatũ habet, *Mynſinger. c. 6. obſ. 37. n. 4. & ſeq.* Hac occaſione etiam non incomodè quæritur, an creditor pignus vel hypothecam alienans de evictione teneatur? quam quæſtionem brevi diſtinctione expediemus: Aut enim creditor ipſum jus pignoris vendit, & tunc, ſi illud præſtat, quale habet, omninò liberari eum exiſtimaverim, quod indubio, ſi nihil ſpecialiter dicatur, fieri putat *Molinæus tract. de uſur. n. 348.* quem ſequitur *Mudæus de pignor. c. de pact. pign. n. 32.* Aut vendit ipſam rem oppigneratam tanquam ſuam, & tunc omninò tenetur. *Dn. Frantzkius d. l. n. 209. & 210.* Sed quid in hoc caſu ſtatuendum, ſi quis ex conſanguineis jure protimeſeos factam venditionem retrahat, an tunc venditor emptori etiam evictionem præſtare debet? videtur dicendum quod ſic, quia evictio contractui emptionis vendit. naturaliter ineſt. Sed contraria ſententia verior eſt, quia res empta non ideò ab emptore revocatur, quod aliena ſit, vel quod venditor non verum dominium iſtius rei habuerit; ſed quoniam Jus municipale, vel iſtius loci ſtatuta ita diſponunt, ut agnatus ſeu quilibet conſanguineus præ extraneo habeat prælaturam, quò res penes familiam maneat. *l. 27. h. Gomez. l. 2. c. 2. n. 40. verbis ult.* Quoniam igitur hîc nullus intercedit venditoris dolus, nulla culpa neque mala fides, cùm non cauſaverit retractum, & demum, ut caſus ſuperveniens, quem venditor præſtare non tenetur, retractus acceſſerit, ideò non tàm venditori, quàm emptori nocere debet. *l. 3. ff. h. l.* Quò facit, quod emptor hujusmodi juris fortaſſe non ignarus fuerit, vel eſſe non debuerit, adeoque ſibi aſcribere debet, ſi rem retinere nequeat, & non venditori, cujus nulla hîc interceſſit culpa. *Tiraquell. de retract. part. 1. §. 1. Perez. in C. n. 8. h. t.*

XII. Im

268.

XII.

In Locatione conductione evictionem locum habere nullum adeſt dubium, *ut patet ex l. ſi quis domum. 9. ff. Locat.* ubi dicitur, ſi quis alicui fundum elocaverit, & fundus absque dolo, culpave locatoris evinceretur, tamen locatorem ex conducto teneri ei, qui conduxit, & præſtare debere, ut conducenti fundo frui liceat. Et nihil intereſt, utrum locator ſciverit vel ignoraverit, rem locatam eſſe alienam *l. 15. §. 8. ff. Locat.* Verùm cum tantam inter ſeſe Locatio cond. & Emtio vend. familiaritatem habeant, ut ſæpe neſciamus, uter ex hiſce contractibus celebratus ſit, & iisdem regulis juris Locatio cond. conſiſtat, quibus Emptio venditio, ut *ex l. 2. ff. Locat.* ad oculum patet, ideo plura huc referre ſuperſedemus. In permutatione idem dicendum, & quamvis in multis à venditione differat, ſuis tamen reſpectibus & illi ſimilis eſt *l. 2. ff. de rer. permut.* & vicem emptionis obtinet. *l. 2. C. eod. tit.* adeò, ut uterque permutantium inſtar emptoris & venditoris habeatur. *l. 19. §. 5. ff. de ædil. edict. Dn. Frantzkius d. l. n. 348.*

XIII.

In datione in ſolutum, quoniam illa vel formalis emptio eſt, vel locum ejus tenet, per textum *l. ult. ff. quibus ex caus. in poſſ. eat.* evictioni locus eſt. *l. 4. C. de evict.* Et poſt *Molinæum ad conſil. Paris. §. 20. dicit Dn. Frantzkius d. l. 335* dationem in ſolutum eſſe veram & efficacem venditionem, & quod de emtione vendit. prædicatur, in datione in ſolutum locum quoque habere. In transactione evictionem quoque locum ſibi vindicare diximus, quod cum certo moderamine accipiendum, non enim ubique & ſemper id verum eſt, ſed ſaltim eo caſu, quando ejus causâ aliquid datum eſt, *ut patet ex l. 33. C. de transact.* quia res tunc titulo oneroſo ad nos pervenit. *Magnif. Dn. Struvius in ſyntag. th. 16. h. t.* Evictio etiam in diviſione rerum hereditariarum inter heredes poſt factam diviſionem locum habet *per text. elegant. in l. ſi familia C. familiæ erciſc. Gail. 2. ob. 14. n. 6.* Sic ad exemplum venditionis ex contractu Emphyteutico re evictâ obligationem

evictio-

evictionis eſſe dicit *Caballin.* §. 5. n. 51. Item ſi Vaſallo bonâ fide feudum evincatur, tenetur Dominus ad aliud ejusdem bonitatis & qualitatis præſtandum *2. feudor. 80.* Si verò quis ſciens inveſtituram alterius beneficii acquiſiverit, eo evicto nullam adverſus Dominum Vaſallus actionem habet, quoniam in acquirendo habet malam fidem *2. feud. 8.* In beneficio quoque Eccleſiaſtico, quod vi mandati Apoſtolici, uni debitum alteri Prælatus confert, tenetur Prælatus de æquivolenti beneficio providere ei, cui beneficium collatum evictum eſt *c. inter cætera in fin. & ibi Abbas not. ult. X. de Præbend.* *Meier. in Colleg. Argent. n. 5. de Evictiõn.*

XIV.

In rebus oneroſis res nunc ferè eſt expedita; quid verò in lucrativis, ut donatione, legato &c. ſtatuendum, an donator teneatur de rei donatæ evictione? Videtur dicendum quod ſic, propterea, quod quælibet donatio meritum aliquod præſupponat, jam verò ſi propter meritum alicui aliquid donetur non puro puto titulo lucrativo res ad eum pervenit, ſed meritum præceſſit, adeoque donatario, ratione cujus ejus intereſt, aliquid abeſſe videtur. Sed hoc non obſtante, dicimus eum non teneri, niſi ſtipulatione de præſtanda evictione ſe obligaverit. *l. 2. C. h. t.* ratio in promptu eſt, quia donatio eſt liberalitas quædam, jam verò liberalitatis ſuæ pœnam nemo ſuſtinere debet. *l. 62. ff. de ædil. edict.* ſi verò quis ſciens rem alienam alicui donaverit & donatarius ſumptus in hanc rem impendit, competit donatario actio de dolo adverſus donatorem. *Perez. in C. h. t. n. 9.* Quod in donatione, idem ferè in re legata dicendum videtur, & legans ſaltim Jus, quod in re legatâ habuit, legaſſe videtur *l. 71. §. fin. ff. de Legat. 1.* Verùm cum gloſſ. hic diſtinguendum videtur inter legatum generis & legetum ſpeciei: Hinc ſi certa ſpecies ut Titius vel fundus Cornelianus alicui legatur, & talis ſpecies legata evincatur, hæres de evictione non tenetur, quia voluntatem Teſtatoris adimplevit. Si verò in genere res alicui legetur utputa, homo, vel decem modii frumenti, vel aliquot agri in

ſpecie non nominati nec determinati, & poſtea evincantur, legatarius ex Teſtamento agere poteſt, ut aliud ſibi detur *l. 29. §. heres ff de legat. 3.* & heres tunc ei de evictione tenetur. Quando enim res in genere legata eſt, præſumendum, eam fuiſſe Teſtatoris voluntatem, ut talis res detur, quæ futura ſit legatarii, propterea non licere heredi, voluntatem Teſtatoris, alienum dando, eluſoriam facere *l. 58. ff. h. t. Perez. in C. h. t. n. 10.*

X V.

Casûs, in quibus evictio præſtanda veniat, potiſſimum enarravimus, placet etiam eos, in quibus ceſſet, leviter deguſtare. Primus eſt, ſi quis ſcienter rem alienam emit *l. ſi fundum 27. C. de evict.* (2) eſt, quando emptor in jus vocatus ab eo, qui rem repetit, autorem ſuum non laudavit, ut ſe defenderet, & liti aſſiſteret, & hac ratione autore non defendente ex defectu probationis res evincatur *l. autore 7. cum l. ſeq. 8. C. h. t. l. ſi rem & l. ſi fundo §. fin. ff. eod.* (3) Si ob contumaciam Emptoris res evincatur *l. ſi ideo. 55. ff. h. t.* (4) ſi venditore abſente emptor condemnatus non appellavit *l. 63. ff. eod.* (5) Si per imprudentiam & injuriam Judicis res evincatur *l. ſi per imprudentiam 51. ff. eod.* (6) Si ſpontè emptor cum evincente compromiſerit, & hoc arbitrio re privatus fuerit *l. ſi dictum 56. §. ſi compromiſero ff. h.* (7) Si, cum emptor potuiſſet, rem uſu capere, non uſuceperit *d. l. 56. §. 3. ff. h. t.* nam qui alienam rem vendidit, deſinit poſt longi temporis præſcriptionem emptori teneri *per l. qui alienam §. 54. ff. h.* (8) Si venditio reſcindatur remedio *l. 2 C. de reſcind. vendit.* Et hi ſunt potiores caſus, in quibus evictiò ceſſat, dantur quidem plures alii, quos vero omnès enarrare nimis prolixum foret.

X V I.

Emptor ratione evictionis duplicem habet adverſus venditorem actionem: Nempe ex empto & ſtipulatu: Illa quoniam eſt bonæ fid., continet rei venditæ pretium *l. 7. h.* Intereſſe. *d. l. 70. ff. eod.* Damna *l. 17. C. eod.* Et denique etiam

iam ſumptus litis *per l. 102. ff. de V. O.* Hæc quia ſtricti juris eſt, non niſi pretium ſimplum, duplicatum vel triplicatum continet *Dn. Hahnius in obſer. n. 6. h.* Datur autem actio ex ſtipulatu ut plerumque in duplum, quia aſſidua eſt duplæ ſtipulatio *l. 31. §. 20. ff. de adil. edict.* unde etiam quaſi à parte frequentiori rubrica ff. concepta eſt, de duplæ ſtipulatione. Non nunquam in triplum & quadruplum *l. ſi dictum 56. pr. l. ſi plus 74. ff. h. t. l. ſi curator 5. pr. de jur. fiſc.* cui non obſtat *l. unic. C. de ſent. quæ pro eo quod intereſt. fer.* Et habent hæ promiſſiones eam differentiam, quod, cum ſimpla tantum promiſſa eſt, ſatisdatio promitti debeat, cum verò duplum, triplum vel quatruplum promiſſum eſt, tum nudâ promiſſione tantùm cavetur *l. 56. pr. h. Dn. Wiſſenbach. h. t. n. 23.* quò verò res paulùm clarior fiat & intelligatur, quid hoc loco per ſimplum, duplum, triplum &c. denotetur, paucis explanabimus. Actione ex ſtipulatu ſimplæ emptor ſimplum rei pretium conſequitur, nihilque præterea; atque hic non præſtatur, quanti emptoris intereſt, ſed quod in ſtipulationem eſt deductum. Et falſa eſt eorum opinio, ſtatuentium, etiam hac ſtipulatione ſimplâ præter reſtitutionem pretii, venire id quod intereſt, manifeſtò enim reprobatur *per l. ult. ff. de Præt. ſtipulat.* ubi dicitur, quod in ejusmodi ſtipulationibus, quæ quanti res eſt, promiſſionem habent, commodius ſit, certam ſummam comprehendere, quoniam plerumque difficilis probatio eſt, quanti cujusque interſit, & ad exiguam ſummam ſæpè deducitur, quò facit etiam § *fin. Inſt. de V. O.* Cum autem in ſtipulatione ſimplæ certa quantitas contineatur, nimirum ſimplum & purum pretium, plus etiam actione ex ſtipulatu peti non poterit, ſecus fuerit, ſi quis ita evictionis nomine ſtipulatus ſit, quanti ea res erit, vel quanti intereſt, rem non eſſe evictam. Actio verò duplæ, ad duplicatum pretium ex ſtipulatione exigendum competit *l. 56. §. 2. l. 48. l. 37. l. 64. h. l. 44. de action. empt.* Obſervandum verò; hic non pretium commune ſive bonitatis rei, quod in vera rei æſtimatione conſiſtit, intelligi *ut vult Coſtal. in l. bonitatis 13. h. t. per l. pretia rerum 63. ad L. Falc.*

l. ſi ſervum 33. ff. ad L. Aquil. Sed conventum, quod fuerit tempore contractus, tum per expreſſos textus *in l. cum fundus 48. in fin. ibi quàm quanti emit l. ſi fundo 53. ibi. quanti venierint h. t. l. ex empto ff. de action. empt.* tum quia, dum partes ſemel de pretio convenerunt, communi & vero renunciarunt, adeo ut ſtante contractu eis non liceat ad illud recurrere *l. ſi voluntate 8. C. de reſcend. vendit.* Non verò promiſcuè hiſce actionibus licet uti, evictâ enim rei parte homogeneâ, quæ retinet nomen totius, ut ſi pars fundi evincatur, actio quidem vel ex empto vel exſtipulatu inſtitui poteſt *l. 1. ff. h.* evictâ verò parte rei heterogeneâ, veluti columnâ domus, locum non habet actio ex ſtipulatu, ſed ex empto agendum eſt *l. cum qui 23. §. 1. de Uſuca. l. 36. l. 65. §. 2. h. t.*

XVII.

Ut verò iſtæ actiones competant & locum habeant, requiritur 1. ut res actualiter ſit evicta, vel æſtimationem præſtare coactus emptor, vel poſſeſſor ab eodem conventus abſolutus ſit *l. 16. §. 1. l. 21. l. 34. §. 1. h.* Priusquam enim reverâ res ſit evicta, non habet emptor, de quo conqueratur, quod tamen exceptionem aliquam admittit (1) ſi venditor ſciens rem alienam ignoranti vendiderit *l. 30. §. 1. ff. de action. empt. l. 5. C. h. t.* (2) Si ab initio contractus appareat, rem eſſe alienam, tunc enim emptor pretium poteſt tam diu retinere, donec ſibi idoneè de evictione caveatur *l. 24. C. eod.* ſecundò requiritur, ut emptor maturè denunciet ſuo venditori, ſibi dictatum eſſe judicium *l. 8. C. h. t. 29. §. ult. h.* Et adeo neceſſaria eſt hæc denunciatio, ut, quamvis autor ſive venditor in judicio præſens ſit *per l. 55. §. 1. h.* & ſciat, emptori litem de re vendita eſſe motam, tamen intermitti nequeant *l. 7. l. 20. C. h. Dn. Struv. d. l. n. 28.* Omiſſa verò denunciatio non venditori ſed emptori nociva eſt, niſi cauſa ita fuerit conclamata & deſperata, ut ne venditore quidem patrono & præſente victoria obtineri potuiſſet *arg. l. 53. §. 1. h. Weſ. n. 19. h. t.* Ideoque ſemper iſta denunciatio fieri debet, quia venditor præſumitur magis ſcire jus rei venditæ, quod penes ipſum diutius fuit, quàm emptor, & ſi nõ denunciet ei, & ab eo inſtructionẽ in cauſa petat,

vel

vel ut ſibi aſſiſtat, dolo id facere videtur *d. l. 53. ff. h.* Quare ex denunciatione duos præclaros effectus oriri videmus, quos notat *Bart. in l. non ſolùm §. morte in fin. ff. eod.* Prior eſt, quod tollat omnem ſuſpicionem clandeſtinitatis, id eſt, doli, nam cum apertè quis autori cauſam denunciat, non videtur colluſiſſe cum adverſario, vel dolo aliquid feciſſe *l. aut qui aliter §. ſi fortè ff. quod vi aut clam.* Alter effectus eſt, quod venditori tollat omnem ignorantiæ prætextum, hâc enim factâ, non poteſt dicere, ſi ego ſcivissem, aliter egiſſem, vel hoc vel eo modo defendiſſem *l. ſi fidejuſſor §. 1. ff. mandat.*

XVIII.

Sed quid juris ſervandum, ſi emptor quidem venditori denunciare voluerit, is autem abſit, an tunc re evictâ, regreſſum habet adverſus autorem, cui denunciare non potuit? Et diſtinguimus, ſi venditor dolo faciat, ne poſſit ei denunciari, quia fortè ſe occultat aut aliis fraudibus impedit denunciationem, & tunc habetur pro factâ, emptorque habet regreſſum contra illum dolosè latentem *textus eſt in l. ſi dictum §. penult. ff. de evict.* Vel abeſt autor juſta ex cauſa, quia fortè negotiatur in Hiſpania, & tunc, quia ipſi non poteſt fieri denunciatio, facienda eſt procuratori ejus, ſi quem domi reliquit, vel familiæ, vel etiam amicis & cognatis *per text. elegant. & ibi gloſſ. in d. l. aut quod aliter §. ſed & ſervus ff. quod vi aut clam l. 4. §. 5. de damno infecto Caballin. §. 3. n. 99. Gail. lib. 1. obſerv. 55. n. 4. Maſcard. concl. 614. n. 19.*

XIX.

Cui denunciatio, & à quo ſit facienda, vidimus, nunc quomodo & quando facienda, perſtringemus. Requiritur autem, ut non tantùm lis de re mota venditori notificetur, ſed & is interpelletur, & requiratur, ut liti aſſiſtat, & rem defendat, *ut expreſsè habet textus in l empti actio 21. verb. interpellare venditorem vel ſucceſſorem ejus debes, ut liti aſſiſtat l. cùm ſucceſſores 23. C. h. t.* non quidem litem totam in ſe transferendo *l. 21. C. h.* totumve judicium ſuſcipiendo *l. 66. §. 2. h.* ſed ſaltim aſſiſtendo *Dn. Habn. in obſ. n. 5. h. t.* In Jure quidem noſtro nil amplius requiritur, quam ut venditori litis motæ denunciatio fi-

at, Pragmatici verò deſiderant, ut unà cum denunciationis libello, acta & actitata emptor venditori tranſmittat, aut ſaltim ea ei communicet, quæ inſtruere poſſint ad defenſionem, *jam allegat Dn. Hahnius d. l. Perez. in C. n. 34. h. t.* Et venditor emptoris Judicium ſequi debet, nec poteſt opponere exceptionem fori declinatoriam *l. 49. ff. de judic. c. ſi diligenti X. de for. compet.* forum enim hic ex re ſita fundatum eſt *l. 1. C. ubi in rem act. Gail. lib. 1. obſerv. 37. n. 7.* Quando fieri debeat denunciatio, de eo reperitur inſignis textus *in l. ſiren. 29. §. fin. h.* ubi dicitur, quod quolibet tempore denunciari venditori poſſit, & ita etiam poſt litem conteſtatam, modò non prope ipſam condemnationem id fiat, ut ſc. defenſio adhuc venditori ſit integra, ſi quam novam velit facere, quod fieri poteſt, ſi non tantùm in cauſa nondum concluſum, ſed & atteſtationes nondum publicatæ: Poſt publicationem enim atteſtatorum ulterior productio propter metum ſubornationis non admittitur. *auth. at qui ſemel & ibi Dd. C. de probat.* Si verò denunciatio in prima inſtantia omiſſa ſit, in ſecunda appellationis fieri poteſt, præſertim cum hodie in cauſa appellationis non allegata allegare & non probata probare liceat *l. per hanc 4. C. de tempor. appell.* quod verò limitatur à *Sichardo in l. 1. C. ubi in rem n. 7.* niſi interea venditori probationes ſuæ perierint, nam ſi potuit in prima inſtantia habere teſtes, qui tempore ſecundæ inſtantiæ mortui ſunt aut perierunt, tunc, ſi res evincatur emptori, nullum erit periculum venditoris, propter denunciationem non legitimè factam.

XX.

Finis denunciationis eſt, tum ut auctorem ex cauſa evictionis obliget, tum ut autor laudatus poſſit de re agenda adeſſe *l. 29. §. ult. h.* cauſæ aſſiſtere, eamque inſtruere *l. 21. 23. C. h.* & admonere, quâ actione utendum ſit *l. 66. pr. h.* Finis verò Evictionis hic eſt, ut emptores, qui bonâ fide rem emerunt, ſerventur indemnes: de quo, cum in proœmio jam diximus, ideò fuſius de eo aliquid tradere ſuperſedemus, & propter temporis penuriam cum Deo, cum quo incepimus, finem imponimus.

COROLLARIA.

I.

PRinceps communis Patriæ, & omnium Pater, paternum erga ſubditos gerat animum.

II.

Inter Dominum & Vaſallum mutua intercedit obligatio, & hic ſtatim poſt inveſtituram abuſivè ſaltim factam illi ad fidem & ſervitia, & ille viciſſim huic ad rei præſtationem & traditionem eſt obligatus.

III.

Vaſallus de feudi petitione ter admonitus, non petens, feudo cadit.

IV.

Feudi Dominus inveſtituram, intra legitimum tempus à Vaſallo petitam, malitioſè differens, jus quod habet in feudo, perdit.

V.

Vaſallus per Procuratorem ſpecialiter ad id inſtructum Juramentum fidelitatis præſtare poteſt.

VI.

Teſtamentaria diſpoſitio, cujus aliàs in Jure Civ. prior & potior eſt ratio, locum in feudis non habet.

VII.

Vaſallus propriis ſumptibus Domino militare debet.

VIII.

Vaſallus Dominum ſibi ad evictionem & fidelitatem præſtandam habet obligatum, adeo, ut, ſi ſe perfidum oſtendat, feloniam committere dicatur, feudique Jure & proprietate privetur.

IX.

Vaſallus, ſi Clericus fiat, feudum amittit.

X.

Vaſallus in ſubditos nimium ſæviens, feudo privatur.

Hacte-

2276.

HActenus Aſtræam calidis amplexibus annos
Non ſanè paucos Te coluiſſe patet.
Quin & cum fructu; ceu diſſertatio docta,
Quam tua defendit Suada perita, probat.
Nunc igitur meritò quos primos donat honores
Hæc, noſtro Pindo ritè probante, capis.

Benevolentiæ conteſtandæ ergò
gr. f.
Chriſtoph. Philip. Richter D.
Com. P. G. P.P. & Collegii
Jurid. Ordinarius.

INque foro inque ſcholis præſtanda evictio ſæpe
obvenit; hinc iſthanc explicuiſſe placet.
Inque foro inque ſcholis ſucceſsùs opto ſecundos:
rite tuum cingant laurea ſerta caput!

Clariſſimo Dn. Doctorando
ex animo gratulatur
Georgius Adamus Struve, D.

INtras Orcheſtram Themidos, dibaphamque Tiaram
Sat meritus prenſas, proſpera quæque precor.

Clariſſimo Dn. Doctorando
amicè gratulat.
Johann. Volk. Bechman. D.
Pandect. P. P. & h. t. CollegI
Jurid. Decanus.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE